


**Plausus Votivus In Natales Felicissimos Cum Serenissimus Princeps Ac Dominus, Dn. Carolus, D. G. Hassiae Landgravius ... Dominus Et Patronus Eius Clementissimus In Carolo, Filio Quinto Genito ... : Urgente Communis Laetitiae Senu Et Obsequii Debito Publica Gratulatione Datus**

Marpurgi Cattorum: Kürsnerus, 1680

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832537330>

Druck Freier  Zugang






Oswald Weigel  
Antiquariat & Auktions-Institut  
Leipzig, Königsstr. 1.

1903  
comp. l. coll. 50. 11.

2  
im.

A215



{ Hessen }

R-1135

AK: 00 F.

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock



Index Scriptorum in hoc Volumen  
mine contentorum

- 1.) Frau = Augustinis Dorotheen Au-  
gustan Kun-Gräfin zu Hatzburg,  
geborenen Hutzeyin zu Hatzburg  
Sachsen, nebst Herrn = Grafen,  
im Rath: Mentzer Eisen-Grä-  
dise. 1863.
- 2.) Programm Tubingense cum Joh. Wör-  
reggeri nomine Academia Panegy-  
rico in memoriam Ludovici VI. Land-  
gravi Hassiae Tubinga. 1878.
- 3.) Samuelis Andrea nomine Academia Mar-  
purgensis Oratio Panegyrica in Carolum  
Hassiae Landgravium, cum Carmine  
Academia Geneethlico. Marpurgi 1890
- 4.) Caroli Luca Panegyris in Carolum

1. Hassia Landgraviatum & ejus natalem quadragessimum quintum. Zintlii 1698.
- 5.) Jean Phil. Lau Panegyris in nuptias Frederici III. Landgraviatus Hassia heredis & Ludovicae Dorotheae Sophie Regiae Borussiae Principis. Berolini 1700.
- 6.) Ludov. Greg. Ditsch Panegyricus Funebris in memoriam Dorotheae Charlotte Hassia Landgraviae natae e Domo Caesarea. Giesse 1805.
- 7.) Erns. Ludov. de Gemmingen Panegyricus Ernesto Ludovico Landgravo Hassia dictus. Giesse Hassorum 1705.
- 8.) Elegie sur la mort de Louyse Dorothee Sophie Princesse Royale de Prusse Hereditaire de Hesse Cassele deesse à Cassele 18 Nov. 1705.

9.)

9.) Castrum Doloris Georgio Landgravio  
Hassia in Expugnatione Barcelona  
eiusdemq; Fortalitii Montis mortuo  
propositum à Pusto Eberhard Pasfern  
Darmstadii 1706.

10.) Christoph. Arnold de Voigt Oratio Pa-  
negyrica Hassia juvenutis Princi-  
pibus dictus, cum Programmate Aca-  
demico & Carminibus Giesæ Hassorum  
1707.

11.) Programma Giesense in nativitatam  
Ludovici Hassia Principis. Giesæ  
Hassorum 1720.

12.) Frid. Herm. Goll & Joh. <sup>13</sup>Wic. Fune-  
cii nomine Academia Pinfelienfis  
Orationes Funebres Panegyrici in  
memoriam Caroli I. Hassia Land-  
gravii.



gravi cum Programmate Academico. 3. <sup>Stück</sup>  
Hinfeln 1730.

14. 13.) Christoph. Frid. Ayrmanni Votum Occasio-  
ne Connubii Maximiliani & Fridericæ Char-  
lotte Principum Hassia 1720.

15. 14.) Ejusdem Luctus in funere Principis Her-  
editaria Hasso-Darmstadina Data Comi-  
tis & Heredis Hanovia. Giesæ 1726.

16. 15.) Christiani Breithaupti nomine Acade-  
mie Julia Gratulatio Solemnis in nuptias  
Friderici Landgraviæ Hassia Principis;  
cum Carmine Academia Göttingensis  
& alio Germanico 3. <sup>Stück</sup> Helmst.  
1720.

15  
PLAUSUS VOTIVUS  
IN  
NATALES FELICISSIMOS  
CUM  
SERENISSIMVS PRINCEPS AC  
DOMINVS,  
DN. CAROLUS,  
D. G. HASSIÆ LANDGRA-  
VIVS, PRINCEPS HERSFELDIÆ,  
COMES CATTIMELIBOCI, DECIAE, ZIEGEN-  
HAINÆ, NIDDÆ ET SCHAVMBVRGI &c.  
DOMINVS ET PATRONVS EIUS  
CLEMENTISSIMVS

IN  
CAROLO,  
FILIO QUINTO GENITO  
A DEO DATO ET REDIVIVO  
*PRIDIE IDVS IVNIAS ILLUSTRES*  
WILHELMVM,  
CAROLVM,  
CHRISTIANVM,  
IMMATURO FATO PRÆREPTOS PRINCIPES  
FELICI INCREMENTO DOMUS AUGUSTÆ  
SIBI EX VOTO REDDITOS VIDISSET,

URGENTE COMMUNIS LÆTITIÆ SENSU  
ET OBSEQUII DEBITO

*PUBLICA GRATULATIONE DATVS*

AB

UNIVERSITATE MARPURGENSI.




MARPVRGI CATTORVM,  
Typis JOH. JODOCI KÜRSNERI, Acad. Typogr.  
ANNO MDC LXXX.

1680

PLAUSUS VOTIVUS  
IN  
NATALES FELICISSIMOS  
CUM  
SERENISSIMVS PRINCEPS AC  
DOMINVS  
DN. CAROLVS  
D. G. HASSIAE LANDGRA-  
VIVS, PRINCEPS HERSELDIAE,  
COMES CATTIMELBOCI, DECUS NIEGEM-  
HAINENSIDDET SCHVAMBVRGI &  
DOMINVS ET PATRONVS EIVS  
CLEMENSIVM

IN  
CAROLO  
PRIMO QVINTO GENITO  
A DEO DATO ET REDIVIVO  
WILHELMVM  
CAROLVM  
CHRISTIANVM  
IMMARTIRO TATO INREPTOS PRINCEPS  
FELICI INCREMTO DOMVS AVGVSTAE  
SIBI EX VOTO REDDITOS VDISSET

URGENTE COMMUNE LITATE SENSV  
ET OSSEQVI DEBITO  
PVBICA GRATVATIONE SVBIVS  
AV  
ONIVERSITATE MARBVRGENSI



CHARPICI CATTORVM  
Typis JOH. JODOCI KIRSNERI, Aed. Typogr.  
Anno MDC LXXIX

FAVENTE DEO TER OPTIMO MAXIMO.

Cujus divinâ pro Hassiâ nostrâ excubante providentiâ

SERENISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS AC

DOMINI NOSTRI

DN. CAROLI,

HASSIÆ LANDGRAVII, PRINCIPIS

HERSFELDÆ, COMITIS CATTIMELIBOGI,

DECLÆ, ZIEGENHAINÆ, NIDDÆ ET SCHAUMBURGI &c.

PRINCIPIS AC DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI.

DILECTISSIMA CONJUNX,

MARIA AMELIA,

NATA

LIVONIÆ CVRLANDIÆ ET SEMI-

GALLIÆ PRINCEPS,

DOMINA NOSTRA CLEMENTISSIMA,

PRINCIPEM NATU QUINTUM

CAROLUM.

Præterito XII. die Junii felicissimè est enixa,

Cujus diem natalem proximo die Veneris, qui erit

2. Julii mensis hora octava in

ICTORUM Auditorio celebrabit & gratulabitur.

SERENISSIMO AC CELSISSIMO

EJUS PATRI,

SERENISSIMÆ AC CELSISSIMÆ

EJUS MATRI,

Nec Non

NEC NON  
Pro salute perenni Serenissimi Filioli vota &  
preces ingeminabit, ut Magna hæc MAGNI PRINCIPIS  
Proles crescat, in divini nominis gloriam, Parentum solatium,  
Celsissimæ Familiæ & omnium Subditorum salutem,  
PER ORATOREM SUUM CELEBERRIMUM,

ACADEMIA MARPURGENSIS,  
*Dulce Serenissimis ac Celsissimis Principibus* nomen laudis & gloria illorum feracissimum seminarium, Magnanimi gloriosissimæ memoriæ PHILIPPI Filia, opus, turris adhuc inconcussa, Religionis veræ fulcrum, viridarium magnorum surculorum & ager fertilissimus,

ET  
Ipsam hic Heliconam qui incolunt florentissimi Doctores & Alunni, non iniqui rerum aestimatores, insolitis lætitiæ stimulis percussi, votorum nobili contentione divinæ bonitatis agnoscent consilium & fausta appreciatione & solenni ephemia precabuntur, ut hujus Serenissimi Principis, tam bonus, tam diuturnus usus sit, quam jucundus est sensus.

Arcanum hoc melius non explicabitur nobis quam ex ore acutissimi Taciti nostri,

Non legiones, non classes perinde firma Imperii fundamenta, quam numerus liberorum.

*Ad festum ergo hunc diem celebrandum*

RECTOR  
ACADEMIÆ MARPURGENSIS  
ARNOLDVS MAVRICIVS  
HOLTERMAN,

J. U. D. CONSILIARIUS Hassiacus & Pandectarum

PROFESSOR Ordinarius

Omnes Ordinum omnium AUDITORES invitat.

ORATIO

ORATIO PANEGYRICA  
QUA  
SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO  
DN. CAROLO  
D. G. HASSIÆ LANDGRAVIO,  
PRINCIPI HERSFELDIÆ,  
COMITI CATTIMELIBOCI, DECIÆ,  
ZIEGENHAINÆ, NIDDÆ ET  
SCHAVMBVRGI &c.&c.  
PRINCIPI AC DOMINO SUO CLEMENTISSIMO  
*EXOPTATISSIMOS NATALES.*

CAROLI  
ADEO DATI,  
PRINCIPIS JUVENTUTIS,  
QUI DUODECIMUM JUNII DIEM ILLSTRARUNT,  
NOMINE ET IVSSV  
*ACADEMIÆ MARPURGENSIS,*  
*POSTRIDIE CALENDAS IVLIAS*  
IN AMPLISSIMO JCTORUM AUDITORIO AD LANUM  
*SUBMISSE ET HUMILLIME GRATULATUS FUIT*  
SAMVEL ANDREÆ,  
S. TH. D. EIVSDEMQUE VT ET ELOQV. AC HIST. PROF.  
BIBLIOTHECAR. ET ECCLESIAE REFORM. PASTOR ORD.



*MARPURGI CATTORVM,*

Typis JOHANNIS JODOCI KÜRSNERI, Acad. Typogr.  
ANNO MDC LXXX.

SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO,  
**DN. CAROLO**  
D. G. HASSIÆ LAND-  
GRAVIO, PRINCIPI HERSFELDIÆ  
COMITI CATTIMELIBOCI,  
DECIÆ, ZIEGENHAINÆ, NIDDÆ  
ET SCHAVMBVRGI &c.

PRINCIPI AC DOMINO SUO  
CLEMENTISSIMO.

**CAROLUM**  
A DEO DATUM,  
PROLEM TOT VOTIS DESIDERATAM  
VT SPEM REDDERET,  
MVNIMENTVM ADDERET,  
JACTVRAS PENSARET,  
BENEFICIO NUMINIS SUPREMI DATAM.

DEVOTISSIMO CULTU GRATULATUR

ET

QUÆ NOMINE PUBLICO  
NON TAM MORE QVAM EX ANIMI SENTENTIA  
NUNCUPAVIT VOTA

*MENTE MANUQUE SUBJECTISSIMA*

OFFERT

SAMVEL ANDREÆ.



*Magnifice Domine Rector ; Magnifice  
Domine Procancellarie, Viri Veneran-  
di, Pl. Reverendi, Nobilissimi, Amplif-  
simi, Consultissimi, Experientissimi,  
Excellentissimi, Clarissimi, Patres si-  
ve Regiminis Principalis, sive Acade-  
miæ Conscripti, Domini & Collegæ pl.  
observandi, Reverendi Domini Pasto-  
res, Hospites quotquot adestis cujus-  
cunq; ordinis ac dignitatis honoratis-  
simi, Tuq; Nobilissima ac florentissima  
studiosæ Juventutis Corona.*



Andem datum est aliquando  
lætius dicendi argumentum,  
& ne perpetuò mihi publica  
vota nuncupanti, sermone fu-  
nesto percellendæ magis essent  
aures Vestræ quàm afficiendæ, lessus toties ite-  
rati in júbila, planctus in gratulationes, & la-  
menta



menta ac lacrymæ in acclamationes votivas tandem conversæ. Sæpius in hunc suggestum ascendi invitus, quando publici doloris interpres, quem premere maluissem alto corde dolorem, supremo verborum honore promerere & officio illætabili toties defungi cogebam, quoties Deus iratus (quorsum enim fatum aut mortem accusaremus?) non stolones aut ramos arboris amplissimæ, sub cujus umbræ tuti quiete hac literaria fruebamur, confringendo, sed furculos & adultas propagines evellendo, nos jactura Principum juventutis conterruisse, & luctu gravi metum simul vicissitudinis imminentis incussisse videbatur. Horrorenim semper quidam artus occupabat, & sacer ille, & vehemens, quoties horum casuum originem, frequentiam & pericula ad animum vocabam, quoties perpendebam, in omni Principum ætate constantem varietatem, infantes, adolescentes, juvenes, viros, perinde abreptos, preces irritas, vota incassum missa, & illum Domûs Augustæ toties concussæ squalorem, cum vix absterfus foret reductum, non sine stupore ingenti contemplantur. Vnde non poteram quoque, dum viam  
voci

voci intercluderet dolor & justissima mentem  
solicitude agigaret, quicquam nisi trepidum  
& malè profluens, nisi abruptum & suspiriis  
frequentibus interstinctum, conari, ne non  
animo character ejus oratio responderet.  
Nunc verò, & sponte mea & lubens in hoc de-  
nuò prodii theatrum, mihiq; passus sum vo-  
lenti & percipienti id muneris demandari, ut  
magnam Academiae pietatem totiusque Or-  
dinis nostri communem lætitiā, sermone  
tum dicentium audientibus magis grato, ex-  
plicarem. Quandoquidem enim compotes  
facti sumus votorum, quæ toto animi nisu,  
mense abhinc tricesimo, mœsti sed meliora  
tamen ex providentiæ divinæ consideratione  
sperantes, effundebamus, & semen pro fe-  
mine redditum, CAROLVM in CARO-  
LO redivivum, auctos felici incremento au-  
gustos Penates, domumq; Serenissimam plu-  
ribus roboratam munimentis videmus, esse-  
mus sanè in Deum impii, in homines ingrati,  
in nos ipsos injuriosi, nisi beneficium ingens,  
cujus ad nos præ cæteris fructus pertinet,  
publico gratulationis plausu celebraremus.

Facessere jubeo illos qui officiis ex consue-  
tudine ponunt modum, & si quid novum aut  
infolitum videatur, tanquam onus declinant  
humerosque subducunt. Vti non quævis  
tellus fert omnia, sic nec omnis ætas omnes of-  
ficii numeros implendi occasiones suppeditat.  
Si Majorum evolvamur annales, nulla  
similis illi occurret clades quæ à paucis retro  
annis, serie successionis conturbata, conduplicatis  
& triplicatis & quadruplicatis funeribus  
Serenissimam familiam afflixit. Sed & nulla si-  
milis huic notabitur benedictio, quæ **CAROLO**,  
**FRIDERICO & PHILIPPO** salvis atque florentibus,  
pro **CAROLO CAROLVM** reddidit, domumque non  
stemmatis claritudine magis quàm ingenti-  
bus in Ecclesiam & Rempublicam, in Scho-  
las & Academias meritis, inclytam, novo & ex-  
optatissimo incremento fulsit nutantem. Sit  
ergo & hæc publica gestientis Academiae ex-  
ultatio nova & ignota annalibus nostris. Vi-  
deatur modum excedere illis qui rerum non  
fatis rectè ponderant momenta, nec quanta  
occafioni insit vis, ut par erat, æstimant. Pia  
nihilominus erit debitæque Principibus op-  
timis

timis, ob Academiam auctam & conserua-  
tam, gratitudinis indicium & experimentum.  
Ita cordati & grati ac explicandi per quasvis  
occasiones officii tenaces iudicabunt, ita  
omnes qui vim amoris & gratitudinis stimu-  
los intelligunt, qui beneficia diuinitus in nos  
collata, non vulgi sensu illo profano, sed vero  
pretio diiudicant, existimabunt, rectè atque  
ordine factum, quòd lætos adeo Principibus  
nostris natales, tot votis & precibus desidera-  
tas, noluerit Alma hæc studiorum Mater bru-  
to quodam transmittere silentio, sed indictâ  
panegyri, gaudium quod in sinu tacita fove-  
bat solidum & constans, voce meâ in publi-  
cam lucem proferre.

Equidem si in barbaria quadam inter  
Turcas aut Æthiopes viveremus, ubi à frater-  
nis cædibus imperium auspicari mos est, vel  
fraternum nomen perpetuâ custodiâ procul  
omni hominum commercio luendum, do-  
lendum esset ob CAROLI post FRIDE-  
RICVM nativitatem, quippe in summâ for-  
tunâ & fastigio tanto, quale in Domo Cæsa-  
rum imaginibus fulgente agnoscendum, non-  
nisi ad miseriam nati. Lætitiâ quoque no-  
stram

stram haud vana sollicitudo interturbaret, si  
quæ fratrum aliàs gratia rara esse solet funestis-  
que collisionibus familias sæpiùs illustrissimas  
evertit, in FRIDERICO & CAROLO  
foret metuenda. Quid enim attineret, cele-  
brasse natales qui non nisi gradus ad exitium?  
exultasse, ob auctam Principum familiam,  
quando ex hac ipsa nativitate quæ vitam attu-  
lit lux tenebras nato perpetuas afferret?  
Frustra CAROLO, Principi optimo & Pa-  
triæ Patri, redditum CAROLVM, addi-  
tum FRIDERICO CAROLVM, gra-  
tularemur, si quæ quondam in LVDOVI-  
CO & HENRICO Fratibus in perniciem  
Hasniæ disidentibus, has terras afflixit calami-  
tas, eodem nos urgeret fato, atque à FRIDE-  
RICO & CAROLO, fratribus non perin-  
de animo ac sanguine conjunctis, ullatenus  
esset expectanda. Neque deesset solliciti hîc  
quoque timoris argumentum, si verendum  
foret, ne prolestot expetita votis & in gloriam  
ac decus nata, minus aliquando conceptæ re-  
sponderet expectationi ac à clarissimis Majo-  
rum omnique ævo laudatissimis vestigiis de-  
clinaret. Tum sanè, quoties hic recurreret di-  
es,

es, quem albo in fastis calculo signamus , non  
idem rediret gratulationis sensus , sed dolore  
& gemitu interciperetur. Quòd si denique  
(quòd Deus omen clementer avertat!) uti  
flos quidam temporarius ostenderetur solùm  
terris CAROLVS excelsæ indolis infans, ha-  
beremus certè brevis gaudii tristem exitum,  
& gratulationis poenitendæ eventum talem,  
qualem intimo devotionis affectu deprecari,  
votisque ac supplicationibus averruncare tan-  
to semper conabimur enixius , quanto magis  
quicquid nunc, sive concipimus votorum, si-  
ve felicitatis ex partu hoc felici ominamur, id  
omne à CAROLI filii vita, incrementis & in-  
columitate dependet.

Verùm enim verò nihil horum est, Audito-  
res, quod nostra suspendat vota aut pietatis of-  
ficium in celebrandis CAROLI Principis  
natalibus sufflaminet. Mores barbaros Chri-  
stiani Principes averfantur, qui melius instituti  
& humanitatis sensu imbuti quàm ut fraternæ  
jura necessitudinis vel regnandi causâ susti-  
neant violare. Relinquunt istam duræ con-  
ditionis legem, quæ fratres à fratribus avellit,  
& quicquid imperantibus par est aut secun-  
dum,

B

dum,

dum, procul à conspectu removet, homini-  
bus sub alio Sole calentibus, ut Imperantium  
securitati pro gentis ad seditiones propensa  
genio consulant. Nec metuit Haslia, ne non  
**FRIDERICO** cum **CAROLO**  
semper & optimè conveniat, quando con-  
cordiæ fraternæ exemplar omniaudemajus  
in **CAROLO** & **PHILIPPO**  
Principibus & Fratribus conjunctissimis,  
intuetur. Ibit hoc non solùm in memo-  
riam seculorum & *Divorum Fratrum*  
nomina obliterabit, sed **FRIDERI-**  
**CVM** & **CAROLVM** quoque, par  
fratrum exoptatissimum, in eundem forma-  
bit animum, & arctissimo amoris ac propen-  
sissimi affectûs vinculo constringet. Non  
invidebit **FRIDERICO** **CAROLVS**  
ætatis privilegium, nec **CAROLO** **FRI-**  
**DERICVS** quicquam, quod à Fratre exspe-  
ctari poterat, denegabit. Cogitabit **FRIDE-**  
**RICVS**, si **CAROLVS** superesset, se  
**CAROLVM** fore. Cogitabit **CARO-**  
**LVS**, ne **CAROLVM** quidem futurum  
fuisse **CAROLVM**, si **WILHEL-**  
**MVS** in vivis mansisset. Sic auguramur,  
sub a sic

ficvovemus, FRIDERICVM & CARO-  
LVM Fratres, Principes juventutis, animo  
concordes & dilectione fraternâ non minus  
ac aliis virtutibus præstantes, reddituros seris  
nepotibus exemplum, quod in CAROLO  
& PHILIPPO, Principibus Serenisimis,  
nunc admiramur.

Nam quis satis extollat aut deprædicet cu-  
ram illam Principe dignam & à quâ Reipubli-  
cæ salus dependet, quam CAROLVS Prin-  
ceps Sapientissimus, in FRIDERICI Princi-  
pis filii educationem confert, ut in spem tan-  
tam, in quam genitus est, feliciter adoles-  
cat? Novit errores illorum & temeritatem ac  
perfidiam abominatur, qui regendæ Princi-  
pum ætati præfecti nil minus agunt quàm ut  
eâ quâ decebat religione in retanti in omnem  
partem momenti versentur, dum sæpe nec in-  
genio, nec doctrina, nec eâ quæ requiritur  
dexteritate instructi, nec moribus satis proba-  
ti, vitia sua Principibus imprimunt, ea quæ sci-  
re Principem nil attinet inculcant, ea præter-  
mittunt quæ studiis quibuscunque aliis fue-  
rant præponenda. Agnoscit magnam Princi-  
pum istorum infelicitatem, quibus talis obti-



git primæ adolescentiæ rector & morum magister cui pudor sit postmodum & ex rei male gestæ conscientia metus , in conspectum Domini, suæ quondam fidei commissi, prodire. Hinc in *Leonidam* aliquem aut *Lysim* oculos conjicit, *Senecas*, *Burrhos*, *Arsenios* quærit, quibus FRIDERICVM Principem filium tradat, nullis parsurus sumptibus dummodo educationi illius optimè prospiciatur. Eadem CAROLVM fratrem manet cura, eadem, quam primum per ætatem ejus capax fuerit, sollicitudo. Hunc, Patris Serenissimi delicias, delicias matris Serenissimæ, in solatium luctûs toties iterati datum, uti amore Parentes augusti tenerrimo complectuntur, sic grande hujus in educatione dabunt experimentum. Nullus ergo superest metus, ne is vividum in alia detorqueat ingenium, vel alius sit olim quàm qualem vota nostra desiderant futurus. Tradux est sanguinis Heroum, per Majorum continuâ virtute signata vestigia ducendus. Fieri non potest ut deflectat, qui sub oculis CAROLI Patris, Principis in tantum æstimandi in quantum virtus intelligi potest, ad omne decus & laudē erige-

erigetur. Præfagit quoque animus, & divina bonitate ac infinitâ Numinis benignissimi clementia nixus auguratur, non datum esse hoc pignus in momenti aut paucorum annorum usum, sed stabile, in fulcrum Serenissimæ domus, in familiæ augustæ ornamentum, in Ecclesiæ Scholarumque præsidium, Hasfiæ ac Orbis universi delictum. Satis Libitinæ concessum, ereptum plus satis. Non in perpetuum irascitur Dominus, lachrymas respicit, ad se confugientes, suæ benignitati confidentes exaudit. Parcet dehinc & eriget afflictos, squallorem domûs illustrissimæ removebit, & moderate exultantes frui patietur diutius dono quod ipse qui ritè petentibus adest, concessit.

Solidum ergo hoc gaudium est, quod ex nativitate **CAROLI ADEODATI** conceptum publica nunc gratulationis voce designamus. **DEO** gratiæ, Principi vota debentur, & à nobis imprimis tanti condigna beneficii requiritur æstimatio. Non jam illa quæ in vulgus nota sunt auribus Vestris ingeram, aut in locum aliquem excurram communem, quòd filii, Hebræis id ipsâ voce agnoscentibus, fulcrum sint domus & gratisima quædam ac

suavisſima poſſeſſio ; quòd illuſtrium conſer-  
vatio familiarum ad tranquillitatem regiminis  
& quietis ſtabilimentum faciat plurimum ;  
quòd à filiis & nepotibus potiffimum ſtem-  
matis cujuſcunq; longa ad poſteros ſeries de-  
ducatur ; quòd magna ſint orbitatis in Princi-  
pum familiis, ſeu certo ſeu incerto ſucceſſore  
pericula ; quòd tandem Dominos mutare &  
translato ad aliam familiam regimine novos  
ſubire mores, idem ſit quod in acie novacula  
conſtitui & binas clitellas impoſitas ferre. Sint  
hæc, quæ per ſe intelliguntur & aliàs explica-  
ta, illorum quos materia dicendi propior deſti-  
tuit ſubſidia, ut exinde capiant dilabentis ora-  
tionis incrementum. Mihi & ſimpliciter di-  
cere animus eſt, & in re ipſa quoque ſufficiens  
dicendi argumentum. Non eſt verum iſtud  
gaudium quod per formulas & ambages ex-  
plicatur. Erumpit viva lætitiæ vox, iſti unde  
primos ſenſit motus inſiſtit, nec ab illo ſe pati-  
tur quod proſequi cœperat avelli. Hæc vera,  
hæc ſolida, hæc perpetua eſt lætitia. Ad CA-  
ROLVM ergo redeundum delicias noſtras,  
in quo uno nomine mea nunc decurret ora-  
tio neque hos carceres egredietur.

Pri-

Primus id in Principum Hasfiacorum suc-  
cessionem intulit is qui nulli Majorum virtute  
& gloria secundus. Ad hunc verò ex ultimo  
illud septentrione delatum, ubi **GVSTAVI**  
& **CAROLI** tanquam genii quidam tutela-  
res coluntur. **CAROLOS** quidem magna  
alternantis fortunæ vicisfitudo ad **VNDE-**  
**CIMVM**, qui nunc Sueciæ præest, deduxit.  
Nam, ut cæteros mittam sub Paganismo do-  
minante Principes, quid **CAROLO SEX-**  
**TO**, qui in prælio cum *Regnero* Daniæ Rege  
prope Vpsaliam commisso cecidit, miserius?  
Quid **CAROLO SEPTIMO**, *Svercheri*  
II. filio, infelicius, dum successionem dubiam cum  
*Canuto S. Erici* filio colliditur? Diffidentia  
femina ut tolleret lege publicâ sanxerat, ut ex  
*S. Erici* & suis posteris Reges alternis crearen-  
tur & ejusdem *Erici* leges fideliter observa-  
rentur. Tranquillandi etiam statûs publici  
causa domi forisque cum indigenis & exteris,  
Danis & Norvegis foedera pacis iniverat, & re-  
paratis monasteriis nonnullis, aliis exstructis,  
ne curare religionis *Erico* inferior videretur, pri-  
mus, impetratis ab *Alexandro III.* Pontifice  
illo famoso insignibus, Archiepiscopi honore  
regnum

regnum Sueciæ ornarat. Sed adeo altè infixæ hærebat animo *Canuti* suspicio, **CAROLUM** hunc, si non autorem, socium tamen, con-  
spirationis adversus Patrem factæ fuisse, ut non quieverit, donec eundem insidiis perficarios comparatis in Westrogothiæ insula *Visingiana* è medio tolleret. Ast Sueonum gloria **CAROLUS OCTAVUS** est, antea Regni Gubernator, mox, post obitum *Christophori Palatini*, Rex, cui grave exinde cum *Johanne Præsule Upsaliensi* æmulo & *Christiano Daniæ Rege* certamen, sicut regno tandem excedere & in *Borussiam Gedanum* exulatum ire cogeretur. Vnde non nisi post septem annorum exilium in regnum rediit, & post annos totidem fato functus est, Princeps, præter regium corporis decus, prudens, sagax & providus, gravifacundia & eruditione doctrinaque disciplinarum mathematicarum isto seculo in Principe rara, nec minus ad belli quàm Reipublicæ usum accommodata. Huic *Poloniusum Latii* sermonis frequentiore & politiore debent. Is enim in monasterio *Olivensi* prope *Gedanum* cum *Casimiro Poloniæ Rege* Latine lo

loquens istius linguæ ignaro & per monachum interpretem respondente, effecit, ut tandem rubore suffusus edicto publicè Latinarum & humaniorum literarum studium suis, si provehi ad honores vellent, mandaret. Sed CAROLO NONO religionis in Sueciâ conservatæ decus cedit. Qui cùm adhuc Sudermanniæ Dux & nomine sui ex fratre *Johanne* Nepotis *Sigismundi III.* Poloniæ Regis, regni Gubernator esset, strenuus imprimis Reformatæ, signatè dico, Reformatæ Religionis fuit assertor, & Ordinum decreto Rex factus, non sine multo discrimine avertit, ne per Polonos Papismus in Sueciam reduceretur. Avi autem hujus sui injurias CAROLVS GVSTAVVS DECIMVS vindicatum ivit, ingentis animi Princeps & meliori rerum successu dignissimus, sed, an satis justè non disputo, parum certè feliciter cum Polonis & Danis commissus: in eo tamen GUSTAVO *Magno* Avunculo suo similis, quòd fulminis instar ruens Poloniam pariter & Daniam prostravit, licet non minori suo quàm utriusque regni periculo, quod ex funere acrius surrexit in victorem ac ex clade convaluit. Hic

C est

est cuius spiritus generosi cum nomine in Serenissimos Hasfiae Landgravios, sed in Danici sanguinis amorem determinati, transierunt.

Nec tamen opus, ut his in exemplum CAROLI in Suecia solum quarantur, cum in CAROLO MAGNO verè magno Imperatore & *Carolovingis* Galliae Regibus, à quibus originem trahunt, habeant quod fugiant, habeant quod imitentur. CAROLUM quidem CALVUM aut CRASSVM non laudabo, neque CALVI primogenitum CAROLVM, qui temerario & infausto cum *Albuino* nobili congressu, dum arma & equum eripere tentat, vitam perdidit. CALVVS enim, quem *Judithæ* Matris favor primùm extulerat, artibus non bonis imperium sibi, excluso fratre natu majore *Ludovico Germanico*, rapuit magis quàm acquisivit, & *Sedechiæ* Medici Iudæi perfidiâ veneno periit. CRASSVS verò, insigni rotantis fortunæ documento, *Arnulpho* fratris sui *Carolomanni* filio naturali, ab Ordinibus Germaniæ Triburiæ congregatis, imperium resignare coactus, inops consilii

re-

rerumque omnium ad extremam egestatem  
reductus, in quodam Sueviæ pago diem suum  
obiit. Neque CAROLVM SIMPLI-  
CEM fas est nisi in miseriæ speculum produ-  
cere, qui in luctu natus, in vinculis mortuus,  
medio tempore sine regno Rex & cum regno  
miser fuit. Hi CAROLI CAROLIS  
documento sunt, ut si felices esse velint, fu-  
giant illa quæ hos pessum dederunt: Odi-  
nempe fraterna, violentiam & dolos, teme-  
ritatem & facilitatem nimiam rerumque se-  
cundarum abusum. Sed CAROLVS  
MAGNVS demum exemplum est CA-  
ROLIS, unde religionis, fortitudinis, tem-  
perantiæ, modestiæ, prudentiæ, constantiæ,  
humanitatis & prolixi in literas ac literatos  
amoris petant exempla. De quo summo  
Imperatore tacere præstat quàm pauca di-  
cere. Verè enim incomparabilis fuit, nisi  
CAROLVM QVINTVM, quem Aca-  
demia hæc privilegiorum suorum agnoscit  
auctorem, eidem libeat conferre, nec poten-  
tia, nec virtute, nec animi dotibus aut felici-  
tate minorem, si de *Philippo Magnanimo*  
plus *Mauritio Saxoni & Joachimo Bran-*  
de.



deburgica quàm Albano & Granvellano  
credidisset. Atque hæc de CAROLIS  
recensenti, illorum quoque Magnæ Britan-  
niæ Monarcharum eo facilius subit memo-  
ria, quòd CAROLVS, Hasfiæ infans secun-  
dus, CAROLI SECVNDI Regis Au-  
gusti nomen non sine meliori omine gerat.  
Hic miraculum orbis, in tot aliis virtutibus,  
ideo servatus per tot discrimina & tyranno  
ereptus videtur, ut regno pacem & bonis lite-  
ris artibusq; ac solidioribus studiis otium red-  
dat. Hujus auspiciis illa pro incrementis  
Philosophiæ *Societas Regia* efflorescit, & in  
commoda generis humani egregia indies fa-  
cit experimenta, quousque naturam ars dete-  
gere queat & adjuvare. Ab hoc Monarcha  
potentissimo CAROLVS Hasfiæ infans  
in gaudium & decus natus, clementiam di-  
scet, in perferendis adversis constantiam & in  
sapientiæ studia amorem. Hujus casibus ad fi-  
duciam in Deum & agnoscenda providentiæ  
divinæ momenta impelletur. Huc enim  
omnis illa de CAROLIS spectat oratio, ut  
munus natalitium CAROLO tot Regum  
imagines offeramus, & qualis CAROLVS sit  
futurus, mente præcipiamus. Ho-

A Horoscopus, signa, puncta, aspectus & conjunctiones totumque illud Zodiaci regnum, ubi per duodena regit mundi Sol aureus astra, Chaldaeis & Astrologis relinquimus, ut vanitate solitâ hinc prognostica petant. Nobis Majorum imagines & isti sanguinis generosi igniculi, sollicita educatio, augustæ domus disciplina & divinus in Principes nostros favor, certiora longè de CAROLO infante in futurum promittunt. Habet ille CAROLVM Patrem, ductorem, rectorem & domesticum, ad quod se componat, exemplum, in quo quicquid usquam de CAROLIS in laudem memorant annales, ceu vivâ quadam virtutum imagine notamus. Religio & pietas singularis, ut GVILIELMI PII filium agnoscas. Pietatis comes justitia, effusa humanitas & benevolentia, clementia, temperantia, prudentia, magnarum capax animus rerum, & quæ nobis ceu propria cedit virtus, in Academias, in Scholas, in literarum studia, in scientiarum Doctores & cultores prolixa liberalitas. Ingrati essemus nisi profiteremur publicè, tantum his annis ab optimo Principe in nos collatum,

MVM

C 3

latum,

latum, quantum à CAROLO MA-  
GNO potuisset expectari. Quis nostrum  
est qui non privato nomine ipsi beneficium  
debeat? Hunc auxit, illum ad altiora pro-  
vexit, neminem à se tristem dimisit, ut generis  
humani delicias in hoc etiam *Tito* redivivo  
agnosceremus. Et quantum quæso publico  
nomine debemus Principi sapientissimo, de  
Academiæ hujus incrementis adeo sollicito,  
quasi hanc unicam suscepisset curam, dum  
omnia inspicit, omnia per se, quod boni Prin-  
cipis est & vigilantis, administrat. Macte hac  
virtute TVA, DOMINE, quòd hanc PHI-  
LIPPI MAGNANIMI, WILHELMI  
SEXTI & TVAM quoque filiam affectu  
paterno adeo prolixè prosequeris. Non au-  
dies illos, scimus, non audies, qui de hac illustri  
studiorum sede aliter quàm gloriosæ memo-  
riæ Parens TVVS judicant, quàm PHI-  
LIPPI illi, WILHELMI, LVDOVICI,  
MAVRITII judicarunt, qui studio incredi-  
bili pro hac Musarum arce exarserunt, quo-  
rum aliqui sceptrum ejus suscipere & gloriosè  
tractare non infra fastigium suum putarunt;  
quàm deniq; TV ipse judicas PRINCI-  
PVM

PVM OPTIME & FRIDERICVM ac  
CAROLVM , Principes florentissimos,  
ubi adoleverint , velis judicare. Maeste &  
Vos, Patres Academiae conscripti, Vosque  
Nobilissimi studiorum cultores, illo Vestro  
ardore in officio faciendo & fugienda igna-  
via, discordia, luxu & luxuria. Cogitate, cogi-  
tate, CAROLVM Vos habere Patronum,  
indulgentissimum simul & justissimum, cujus  
beneficio in conservandis & augendis Majo-  
rum institutis studia Vestra aluntur & promo-  
ventur. Apage igitur livorem, apage conten-  
tiones, apage obrectationes, apage incoor-  
diam, apage pestes illas & inutiles fucos, crapu-  
lae solum gulae & ventri deditos, unde omnis  
morum corruptela.

Gratulamini mecum submissè, gratulamini CAROLO  
Principi gratiosissimo, quod se ipsum in CAROLO redi-  
vivum cernat & ut id quam diutissimè possit, vovete. Gratula-  
mini MARIAE AMELIAE, Principi optimae & religiosissi-  
mae, quod superatis feliciter gestationis & partus doloribus,  
prole exoptatissima fuerit beata. Gratulamini toti Familiae Se-  
renissimae fulcrum stabile & incrementum Hassiae terrae novum  
phosphorum & fidus lucidissimum, Religioni assertorem  
Ecclesiae Patronum Reipublicae vindicem, Vobis Nutritium,  
cunctis delictum. Vive CAROLE, Princeps Maxime & FRI-  
DERICO atque CAROLO salvis & florentibus fruire ad-  
feros usque nepotes. Vive MARIA AMELIA, Princeps  
maxima, quae CAROLUS Hassiae das, & in annos mul-  
tos

tos sana, vegeta, viribus integris perenna. Vivite Principes  
juventutis FRIDERICE & CAROLE, adolescite læti, flo-  
rentes, concordēs, digni CAROLO Patre, digni Avo & Ma-  
joribus. Nulla Vos divellat dies, nulla inficiat labes, nullus eri-  
piat morbus, nulla denique destituat occasio, quo minus in  
omne decus fastigio Vestro dignum feliciter assurgatis. An-  
ni Vestri non tam de nostris quàm de inexhaustis antiqui die-  
rum thesauris augeantur, donec attigeritis Nestoreos, semper  
felices semper nostræ pignora felicitatis.

TU verò, DEUS OPTIME MAXIME, cujus id  
unicè beneficium est, quod læti & gratulabundi hodiernâ lus-  
ce, magno omnis ordinis consensu celebramus, fac id qui solus  
potes raturum & perpetuū. TIBI gratias quas possumus pro be-  
neficio tanto supplices agimus, sed & infinitas habemus. Audi-  
visti Hassiæ vota sed & vota Palatinatûs exaudi, & orbitati Do-  
mûs agnatæ ac desiderii CAROLI Principis Optimi & de  
domo TUA solliciti secundum clementiam TUAM infinitâ  
ex voto consule. Averte pro benignitate TUA deinceps ca-  
sus tristes & acerbos, cujusmodi annis subinde superioribus  
fuimus experti & quos dedisti Principes juventutis incolumes  
præsta. Imple illos dotibus & donis animi corporisque exi-  
miis, & eorum pectora timore TUI ac intimo veræ religio-  
nis sensu perfunde. CAROLUM & MARIAM AME-  
LIAM, Principes TUI amantes, & religione ac pietate insi-  
gnes, bono nostro, bono Reipublicæ, bono Ecclesiæ quàm  
diutissimè omnigenæ gaudentes prosperitate conserva. Da  
ipsis domum stabilem, vitam prolixam, ministros fideles, po-  
pulum probum, summam votorum. Da nobis animum gra-  
tum, pacem constantem, vigentem industriam, vigilantem  
conscientiam, & sub Principibus Optimis in Academiâ  
perpetuò florente nunquam cessantem  
disciplinam.

D I X I

TUBA

TUBA MÆONIA,  
HOC EST,  
*CARMEN GENETHLIACUM,*

QUO  
SERENISSIMO AC CELSSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO,

**DN. CAROLO,**  
PRIMO HVJVS NOMINIS  
HASSIÆ LANDGRAVIO, PRINCIPI  
HERSFELDÆ, COMITI CATTIMELIBOCI,  
DECIÆ, ZIEGENHAINÆ, NIDDÆ ET  
SCHAVMBV<sup>R</sup>GI &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO;  
NEC NON  
DULCISSIMÆ ILLIVS CONTVGL  
SERENISSIMÆ CELSISSIMÆQUE PRINCIPI

AC DOMINÆ,  
**DN. MARIÆ AMELIÆ,**  
NATÆ LIVONIÆ, CURLANDIÆ  
ET SEMIGALLIÆ DUCI, LANDGRAVIÆ HASSIÆ,  
PRINCIPI HERSFELDÆ, COMITI CATTIMELIBOCI,  
DECIÆ ZIEGENHAINÆ, NIDDÆ ET  
SCHAUMBURGI, &c.

DOMINÆ SUÆ CLEMENTISSIMÆ,

FELICISSIMAM  
DESIDERATISSIMI FILII

NATU QUARTI,

**CAROLI**

NATIVITATEM,  
QUÆ

DIVINA BENEDICENTE GRATIA  
PRID. IDVS JVNII HVJVS ANNI INTER III ET V.  
MATUTINAM IN PRINCIPALI ARCE

CASSIELLI

EX OMNIUM VOTO ACCIDIT,

CUM FAUSTISSIMO OMINE, DEVOTISSIMA GRATIARUM  
ACTIONE ET ARDENTISSIMO AFFECTU,

HVMILLIME  
GRATULARI DEBUIT,  
VOLUIT

*ACADEMIA MARPVRGNESIS.*

STYLO  
G. O. S. H. P. P.

MARPVRGI CATTORVM,

Typis JOHANNIS JODOCI KÜRSNERI, Acad. Typogr.



## GENETHLIACON.



Rgò ades unanimi Cattorum voce petitus,  
MAGNE PUER, lucemq; novis splendoribus a uges  
Ingrediens, & casta doces non irrita vota?  
Scilicet est summum, quod dirigit omnia, Numē,  
Quod poenas sceleri, pietati præmia gratis  
Reddit, & ut metui sic vult ardentem amari,  
Et Tuus & noster, PRINCEPS, Deus. Illius omnes  
Nos opus, ætheriâ quotquot nunc velcitur aurâ,  
Sed Tu præcipuè. TIBI enim, TIBI tota timebat  
Jam duplex misero gestans sub pectore vulnus  
Hæssa, ne tetricæ properato stamine Parcæ  
Illustrem primâ spem frustrarentur in herbâ.  
At Deus ardentem, quibus undiq; templa sonabant,  
Clementi bibit aure preces, salvâq; Parente  
Te salvum superas felix eduxit in auras:  
Et, quod gaudendum magis est, utcunq; tenellis  
Artibus en! seros vitam promittit in annos.  
Sic oculos, sic ora geris, sic corpore toto  
Igneus elucet vigor & cœlestis origo.

O DEUS, immensi qui torques sidera cœli,  
Mortalesq; preces durâ non respicis aure,  
Quas TIBI pro tanto referemus munere grates?  
Quas dabimus laudes? Neq; enim TIBI thure litatur  
Aut pecudum fibris: non, si vel tota crementur  
Armenta, aut sylvas populetur flamma Sabæas.  
Nec TIBI, de Pario quæ surgit ad æthera saxo,  
Templorum moles, auro gemmisq; superba,  
Aut gravidas scindens nubes, Lydoq; metallo  
Præstringens oculos culmen placet, oraq; Divûm,  
Sive

Sive ea Praxitelès vivo de marmore duxit,  
Sive manu artificis solers animavit Apelles.  
Sed puram sceleris mentem & sine crimine vitam  
Diligis, eoque pio proficiscens pectore votum.  
His TU deliciis, hoc delectaris honore,  
ALME DEUS, quem nec proprii de fonte cerebri  
Mens hominum exsculpsit, nec vasti Dæmonis astus  
Obtrusit populis: Sed TU, PATER, ipse sacro  
Sanctos ore docens exemplo & voce probasti.  
Ergo TUA meritò nunc personat Hassia laude,  
Hassia non vanis hominum seducta statutis.  
TU calidas audito preces, & Flamine Sacro  
Pectora nostra regens divini tramite verbi  
Duc bonus, ut nunquam à notâ regione viarum  
Erremus, TUAque hæc nostrâ, DEUS OPTIME, culpâ  
Munera perdamus. Nam TU Rex noster es unus,  
TU vis & potis es cunctorum flectere corda,  
Quò TUA perpetuò nos inter gloria vivat.

At TU, magne DUCUM sanguis, nostri INCLYTA CONJUX  
PRINCIPIS, Hassiacæ summa expectatio Gentis,  
Nunquam de patriâ cessas bene velle mereri,  
Succumbens oneri. Quintâ jam Prole beasti  
Illustrem thalamum, quorum pars regnat Olympo,  
Pars alia Hassiacas leni moderamine terras  
Post faturum vitæ Patrem, sed serò, tenebit.  
Quid TIBI pro tanto persolvere grata labore  
Patria, quæ proprium non dedignata periculum  
Post varios luctus nova nunc solatia præbes?  
Certè quicquid habent alieno Sole calentes  
Aut pretio carum aut visu lætabile terræ;  
Seu Natura parens gremio hoc complexa patienti,  
Sive hoc Palladiæ pariunt felicius artes,  
Longè est inferius meritis, DUX INCLYTA, VESTRIS.  
Quid rutilans aurum? quid gemmæ lucidus ignis?  
Quid vel acu Phrygiâ, Tyrio vel picta colore



Vestis, et Eoo concrefcens bacca profundo ?  
Queis vel ad invidiam VESTER jam mundus abundat,  
Cottidieq; novis sincerum obfignat amorem  
Augustus CONIUX. De cœlo fumere oportet,  
Quod pro cœleſti reddamus munere munus.  
Cernis, ut Haſſiacas velox it fama per urbes ?  
Ut lætentur agri ? reſonet concentibus aër ?  
Geſtiat & vitreo ludens ſub gurgite piſcis ?  
Quid, quòd in ætherio Titan ſua gaudia cœlo  
Haut celare poteſt ridens, celeresq; jugales  
Fortiùs exſtimulans, terræ [ mirabile dictu ! ]  
Excluſo quaſi momento cum nubibus imbri,  
Optatam oſtendit faciem conſtansq; ſerenum ?  
Sic omnis Natura TIBI gratatur ovatq; ,  
INCLYTA DUX, cœlum aſtriferum, cum piſcibus undæ,  
Cum ſylvis volucres, cum terrâ armenta gregesq;.  
Sed magis ô ! quantò noſtræ, pia Numina, Mulæ,  
Hoc ceu Sole novo Terris feliciter orto,  
Et manibus plaudunt & toto pectore gaudent !  
Heu, quantæ tenebræ tempeſtatesq; malorum  
Ardua Gorgonei terrebant culmina Pindi !  
Fratribus Aeoliis in nos velut agmine factò,  
Inq; ſacras Phœbi malè conſpirantibus arces.  
Cuncta ſed optato ceciderunt PRINCIPIS ortu.  
Sic, cùm purpureis Phœbus ſe tollit ab undis,  
Protinus obſcureſcens populos caligo fugatur,  
Et nebulae retrò tristem damnantur ad Orcum.  
TU modò, Caſta, fave ter ternis, DIVA, Deabus,  
Et procul Aoniis arcens à floribus Austros  
Conſerva liquidas ſacris cum fontibus Undas.  
Sic DEUS incolumi ſemper TIBI corpore vires  
Atq; juventutis lætos aſpiret honores !  
Sic TE caſtus Amor, ſic TE Lucina revifat  
Sæpius, & pulcrâ faciat TE prole Parentem !

Nunc

Nunc intende sonum, Clio veneranda, tubâq;  
Mæoniâ MAGNO vates ostende PARENTI,  
Quid sibi de tenero possit promittere Gnato.  
Ne tamen à nobis expectes, MAXIME PRINCEPS,  
Ut vel Chaldææ ruspâti dogmata Gentis  
Ex cœli positu TUA spe laetemur inani  
Pectora, vel, quæ sunt hominum communia seculo,  
Sacra propinemus contorta volumina Vatum.  
Nobis certa sequi satis est vestigia rerum,  
Naturæq; notas & magni sanguinis ortum.  
Scilicet haud parva est generoso in semine virtus:  
Quo quis AVO, PROAVO, quo quis GENITORE creatus:  
Quosq; vel affines habeat, vel sanguine junctos.  
Nunquam etenim fortes leporem genuere Leones,  
Nunquam Chaonias volucres Jovis armiger ales.  
Sive ergò veterum evolvâs monumenta Virorum,  
Sive per Europam passim tua lumina mittas,  
Non ità difficile est Prognosticon edere certum,  
Cui Dodona sagax, Vates cui Pythia cedat.

CAROLUS ergò Tuus [Deus ô! Deus impleat omen!]  
Invictos animos à MAGNO CÆSARE sumet,  
Cujus ut est generis, sic clari nominis hæres.  
Pectus in antiquam virtutem animosq; Viriles  
Eriget, & cœcæ furias contemnere Divæ,  
SACRORUM SPONSOR, tanti cognominis autor,  
Ille, CALEDONLÆ qui nunc feliciter oræ  
Sceptra per innumeros Proavos transmissa tuetur,  
REX pius, Augustus, FIDEI DEFENSOR Avitæ.  
Nec TUA sunt frustra dulci data nomina Gnato,  
INCLYTE CATTORUM PRINCEPS. TE sanguine Patrem,  
TE vultu placido, TE pulcro reddidit ore:  
TE quoq; maturis veniat modò robur ab annis,  
Exprimet ingenio, virtutibus exprimet æquis.  
Scilicet incedens TUA per vestigia sensim  
Non unum ex præcis nobis Heroa reducet.

SEXTUM præcipuè CELEBREM PIETATE GUILHELMUM:  
Qui sacra restituit sedi collapsa priori,  
Et tunicam Christi plorando schismate ruptam,  
Quâ licuit, cautâ tentavit jungere dextrâ.  
Hic noster SALOMON, Martemq; & bella perosus  
Artes excoluit pacis, trepidasq; CAMOENAS  
Lætus ab exilio æternâ cum laude reduxit:  
Et, ne temporibus quondam ejiciantur iniquis,  
Summo prospexit studio: Victumq; benignè  
Suppeditans stabili cultas in sede locavit.  
Quantus id! laudum campus se hîc Vatibus offert!  
Quæ Panegyricis, Pericle & Demosthene digna,  
Rerum materies! Si nunc hoc esset agendum.  
Hinc æterna VIRO tribuunt Encomia Musæ,  
Funereumq; decus, quod nec Jovis ira, nec ignes,  
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.

Et quid AVUM mæmorem CONSTANTIS nomine clarum?  
Perdere cum populo patrios qui maluit agros,  
Quàm violare fidem testato Numine pactam;  
Quàm sacra Divini mysteria linquere verbi,  
Purgatamq; Fidem Divinæ ad mentis obrussam.  
Heu, quos ille tulit pro RELIGIONE labores,  
Non ulli parcens operæ, non sumtibus ullis,  
Ut juga Romani excuteret prædura Tyranni!  
Quod nisi fecisset, templis regina federet  
Vana superstitio, & Verum hinc pepulisset ad Indos.  
Huic igitur soli præsentis tempora Pacis,  
Huic libertatem Fidei Germania debet.

MAURITIUS sequitur. Cujus dum nomina dico,  
Nescio quo pacto, postes ac tecta LYCEI  
Saxaq; murorum velut exultare videntur.  
Ipse pater LANUS vitreo de gurgite cana  
Tempora populeâ tollit præcineta coronâ,  
Et patulis omnem effundit crateribus undam  
Lætus: sic tacitum pertentant gaudia pectus!

Hic

Hic VIR, hic est, quod **IA** jaetat,  
Cui nil Pierides, nil Docas Apollo negavit.  
Hic, seu Romano placuit decurrere campo,  
Sive per Actæi spatium littoris oram,  
Et Ciceronis opes, & vim Demosthenis omnem  
Pectore tœcundo tenuit. Si Carmina vellet,  
Optima mox leni veluti de fonte fluebant,  
Nunc ad Mæonios magni formosa Maronis,  
Nunc faciles Flacci numeros. Quid multa? Camœnæ  
Parnasso spreto, contemta Phœcidis undâ  
Principis in tanti posuerunt pectore sedem.  
Sic nihil ignotum Divini, nilq; profani,  
Non linguæ variæ, non docta reperta Sophorum,  
Cæsareæ aut Leges, divini aut pagina verbi,  
Aut artes, aut res gestæ prisceq; novæq;  
Nec tamen ingenio tantum linguâq; valebat,  
Sed virtute potens, obsequio juris & æqui,  
Munificus, nulliq; fuit late secundus.  
M. us Doctorum, Studiosorumq; Patronus.  
erit nostra hæc locuples ACADEMIA testis  
viridis fallum decurret Lanus in æquor.  
Nec minor est **QUARTI** pietas virtusq; **GUILHELMI**,  
Qui puer ut capto fortunam agnovit in hoste,  
Sic patrem injusto detentum carcere fortis  
Eripuit, primo vernantis flore juventæ.  
Redditus hinc studiis Musarum castra frequentat,  
Clara Mathematicis observat sidera scalis  
Magnificisq; Urbes structuris munit & ornat.  
Hinc Sacra constituit Themidos, Clerumq; reformat  
Musarumq; Choros: laudati Principis implens  
Omne ad eò punctum, supremis gratus & imis.  
Nunc inter Divos SAPIENTIS nomine fulget.  
**MAGNANIMUS** superest factis tituloq; **PHILIPPUS**.  
Is qui Papales Divini lumine verbi  
Fortiter in patriâ princeps discussit abusus.


Qui

Qui, fratres Latinos, u[bi] c[on]u[er]satos,  
Expulit, & pingues reu[er]sus c[on]u[er]satos,  
Qui pius idolis purgavit templa profanis,  
Et populum revocans ad sacri pabula verbi  
Aurea decrepito reparavit secula mundo,  
Rustica tum stolidi Munceri castra fugavit,  
Quodq[ue] Monasteri Satanas erexerat urbe,  
Destruxit regnum. Sed quis numerare trophæa,  
Quis memorare potest, quos duxit ab nocte triumphos?  
Hic idem nostri Stator est autorq[ue] LYCEI  
Munificusq[ue] Parens: ex quo ceu fonte perenni  
Cuncta per Europam sitientia prata rigantur.  
Hos Tuus Heroas, PRINCEPS CELSISIME, GNATUS  
Si quid habent veri vatum præfagia, reddet.  
DET DEUS, ut nostri videant eventa nepotes.

F  
I  
CADEMIA







43 18

30. -

6925  
cat.


26.04.1966 F.

151 of

Oswald Weigel  
Leipzig, Königstr. 1

30. -





Der muntre, tapfre Prinz, ein Feind von langen Hoffen,  
Des Liebe Meer und Land zeithero unterbrach,  
Freut sich, daß nun sein Wunsch in so weit eingetroffen,  
Daß nach der langen Nacht sich zeigt der güldne Tag;  
Da Er, was der Geist umfassen  
Mit so brünstigen Verlangen,  
Dessen Feuer, dessen Gluth  
Dämpfft kein Meer, löscht keine Fluth,  
Endlich in die Arme fasset, als ein unschätzbares Guth.

So groß mein Hoffen war, spricht Er, wars doch zu wenig,  
Wenn Ich, den hohen Schatz damit vergleichen soll,  
Den Mir der weise Fürst, der Britten grosser König,  
Jetzt sendet zum Gewinn, und meiner Liebe Zoll:

Was vor Dank soll ich Ihm geben?

Wie soll Ich verbunden leben?

Carolina, Deinem Geist

Wird kein Opfer, wie es heist,

t nach Würden angezündet, wenns auch Gold und Weyrauch  
speist.

Laffen, meinem Volck, und der Cherusker Sprossen,  
dunt dieses Glückes Strahl den allerschönsten Tag;  
Wenn der Himmel sonst der Pallas Bild gegossen,  
Id es noch Troja schenckt, da nie kein Wohl gebracht;  
Diß Palladium soll Hessen  
Chren, und niemahl vergessen,  
Daß es ein Geschenk sey,  
Daß der größten Lieb und Treu  
würdig, denn es bringet dir die güldne Zeit herben.

Musen, welche sich am Leine Fluß ergötzen,  
enn sich ihr stiller Geist ins Alterthum vergräbt,  
nen sich dieß Band zu jenem hinzusetzen,

Heinrich recht vergnügt mit Adelheid gelebt,

Da das Glück auf güldnen Wagen

Hessen damahls hat getragen;

Da ist Cassels Friederich

liebt Mariam inniglich,

sein Hoff ein solches Eden, und sein Land ein Seegens-Strich.

